Nobilissime et Ampliss: D.ne

Insigne Carmen tuum, pari ab affectu ac industria profectum, utriq:
Principi, quod ne sic quidem mandaveras, obtuli, ornatum verbis, quibus
pro merito potius, pro amicitia debui. Respondit utriusq: nomine
Imperator Pater, plurimum se debere tibi; gratias itidem habere quam
maximas, quod forensibus districto negotiis placuerit in has amoe=
=nitates excurrere, non tam eruditioni ostentandae, quae abunde est
nota, quam demonstrando in patriam et res auriacas amori ac be=
=nevolentiae plane singulari. Superest ut gratias agam, quas ago
meo quoq: nomine Vir Ampl.me quem de patriorum turba seligere
voluisti magnae humanitatis tuae vilem proxenetam. Ruborem
illa mihi res incussit, cogitanti, nescio quo fato, neglexisse
me nuper, afferre tibi dissertatiunculam de organis Ecclesiarum
Foederati Belgii typis vulgatam, quod si confitente reo placa=
=bilis es, neq: adhuc sesquihorarium ista lectione perdidisti, nunc
demum ut perdas petere à te audeo; atq: ut expressis rigide argu=
=mentis aperte significes τεῇ χαρίεσσιν, τί μοι δέον οὐκ ἐτέλεσσα
sententiam denique de sententiis dicere assuetus, de mea dicas,
quasi è Tribunali Curiae a qua nec provocatio est. Expecto quam
mox compotem me tanti beneficii facias, et castigando quoque
doceas, quam non inter amicitiae tuae tirones sit

Tibi Devotiss.
C. Huygens.

in castris ad Genepam
3 Julii CIↃIↃCXLI.
Superscriptio erat

Mijn H.r
Mijn H.r Van Foreest
Raetsh.r in den Hoogen Raed &c.
In s'Graven Hage

Eidem.

Quo igne incalueris, nescio. Febrilem quidem illum, quem pridem
deferbuisse spero, satis certus sum ejusmodi scintillas non emittere,
quales in Poëmatio nuper misso agnovi lucidissimas. At enimvero
praeter illas tuas in aetate jam provectali ingenii usque juveni=
=les flammas ignea fax amor est Patriae Patriaeq; qua non
desinis tu ardere, neque haec dictare tibi dignissimas te et repub:
meditationes: ut ambigere liceat potiorne civis an Poëta habendus

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 70
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2758